



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Cap. XIII. De miserando lapsu, & pœnitentia Hosii Episcopi Cordubensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

Semiarianorum fraus latitabat, & in Athanasium quoque sententiam dixit, unde visus est hæreticorum partes fovere: quod est proprietate sermonis mei esse hæreticum *interpretative*, veram tamen fidem profiteri. Deinde, cum Liberius reprobasset, & compressisset repullulantem Photini hæresim, eoque prætextu Eudoxius, ceterique Anomœi spargerent improbo mendacio proscriptisse *Omoousion*; falsus rumor facile potuit ad aures hominum pervenire, undique spirante flatu pestifero Arianorum. Quare nil mirum si Hilarius ter in Liberium pronunciavit *anathema*; si tamen illa indignantis animi nota vere ex Hilarii pectore erupit: sunt enim complu-

res, qui e margine in textum irrepsisse contendunt.

Arduam hanc quæstionem non magni momenti Dupinius appellat. Cæterum, si quis recolat quanta pro fide Catholica Liberius Papa præstiterit, Apostolicas ad Constantium pro Divo Athanasio Epistolæ, damnationem Pseudoconcilii Arelatensis, plenissima libertatis, cum ad Eusebium Eunuchum, tum in faciem Imperatoris proloquia, invictam animi fortitudinem, miserrimi exilii calamitatem, Romanæ Urbis, & amantissimæ Christi plebis pro ejus restitutione voces, ac gemitus: si quis, inquam, ista perpendat, lubenti animo me verbosum, molestumque hominem patietur.

CAPUT XIII.

De miserando lapsu, & pœnitentia Hosii Episcopi Cordubensis.

SUMMARIUM.

1. Notandum Historicum.

2. & 3. Probat, Hosium tandem Arianorum consensisse impietati.

4 Propugnatur, eum nequaquam in impietate Arianica obisse.

5. & 6. Solvitur objectio.

I.
De lapsu &
Pœnitentia
Hosii.

HOSIUS ob ætatem, & confessionem, laborumque tolerantiam omni honore ac reverentia dignissimus, Nicænæ Synodi confors, atque insidiis Arianorum exilio damnatus, studio eorum, qui anno 357. Sirmium convenerant ab Imperatore Constantio revocatus est, ut vel persuasus, vel coactus hæresi consentiret. Cogitabant enim, si hunc tam eximium, & omnium celeberrimum consentientem haberent, fore illum fide dignum, maximumque dogmatis sui testimonium. Sirmium ergo venit necessitate coactus, & invitus, centenarius ætate, septingentium leucarum itinere fessus, industria eorum, qui tantam venerabilis Antistitis senectam male exercitam habuerunt. Hæc ex lib. 11. Socratis cap. 31. & Theod. iv. cap. 6. Videtur tamen Socrates priorem, & secundam Sirmiensem Synodum confundere, cum ex inscripto Consulatum nomine constet tres esse distinguendas, & Hosium interfuisse Synodo secundæ Arianorum Episcoporum, quorum erant principes Ursacius & Valens. Quæritur modo, an formulæ hujusce Synodi subscripserit, quam ex dictis liquet fuisse blasphemam & Arianicam, & an post lapsum respuerit, vel in hæretica impietate decesserit.

PROPOSITIO I. Cessit tandem Hosius Arianis, illorumque impietati consensit.

In libro enim de Syn. Hilarius commemorat *Blasphemiam per Hosium & Potamium conscriptam*; de qua supra Socrates lib. 11. cap. 31. *Quoniam vero consentire renuebat, plagas, & tormenta seni inferebant: unde & necessitate coactus, datis tum expositionibus & consensit, & subscripsit.* Ac Theodoretus in iv. H. E. libro cap. 6. *Hosius, inquit, initio quidem illis consentire detrectabat, compulsus tamen, & verbera, ut fama est, cum esset senex perpressus, tandem consensit, & subscripsit.* Athanasius quoque celeberrimi fenis cultor singularis, & gratus in sua ad Constant. Apologia ait: *Quamvis ob illatas ipsi multas plagas, immodicas & structas in cognatos ejus insidias cesserit ipsis ad horam, utpote senex, & corpore imbecillis.* Quod habet Latinus interpret legitur in Athanasio *εἰς τὴν αὐτοῦς πρὸς ὥραν, non repugnavit ad horam.* Cæteros complures affert Baronius ad annum 357. ubi num. xviii. præclare asserit, Hosii lapsum præteritorum omnium casum superasse. Certis itaque testimoniis humana imbecillitas continuo nobis pensitanda in Hosii defectione proponitur.

Eminentissimus Aguirre Dissert. 2. in alterum Tom. Conc. Hisp. aperte narratum casum non denegat, dubium tamen multiplici capite probat: idque ob præclara Hosii merita summopere videtur

14.
Dupinius
Arianis con-
sensit.

2.
Hosius
Arianis con-
sensit.

Probatio 1.

3.
Probatio 2.

tur in Scriptore clarissimo laudandum. Singula tamen, quæ producit brevissime expendam. Ait, quod senis oculi caligaverant, & mentis deliquium subiebat: quod contigisse homini tanta ætate gravato probabile est quidem, sed mentis compotem indicant verborum, plagarumque ad tempus tolerantia; unde videtur imbecillitate corporis, non deliquio mentis peccasse. Addit Athanasium in Epist. ad Solitarios meminisse duntaxat Hosii cum Ursacio & Valente communionis: at istorum voluntati *ad horam* non repugnasse fatetur idem Athanasius in sua Apologia. Observat Hilarium, qui procul à Sirmio aberat decipi potuisse rumore famæ: & revera deceptum ego arbitror in eo, quod blasphemiam Sirmiensem ait ab Hosio conscriptam: si enim restitit aliquandiu Ursacio, & Valenti, & probra ac tormenta substinuit, jam Ariani impiam Confessionem paraverant, quam magno Hosii nomine circumferrent. In subscriptione tamen innocentiam Hosii contra Scriptorum omnium auctoritatem perdifficile est demonstrare, & Hilarium plenissimæ convincere falsitatis. Contendit formulam, qualem narrat Hilarius, debuisse displicere Semiarianis; ideoque ab eo referri adulteratam. Verum reapse displicuit, & post expositionem Constantius minis, decretisque illam repressit, Auctore Socrate lib. 2. cap. xxx. ideoque conjectura hæc evanesceat. Ait denique Aguirre Hosium comparatione Liberii leve crimen patrasse: quod opus habet distinctione; nam in damnationem Athanasii Hosius nunquam consensit, & Liberius eidem subscripsit; qua in remiratur Hosii constantiam, & Liberii simplicitatem excusamus. In subscriptionem autem Ecclésiæ, cum Hosius secundæ Sirmienſi Synodo adfuerit, quando *Blasphemia* edita est Ariana, ac Liberius accesserit Semiarianorum postulationibus jam formula illa damnata & vetita, dolemus delapsu Hosii, & lætamur de recta fide Liberii.

4. **PROPOSITIO II.** Non obiit Hosius in impietate Ariana.

Hosius non
est mortuus
ut Arianus.

Athanasius in Epist. ad Solitarios Hosii poenitentiam his verbis contestatur: *Mortuus enim quasi, in testamento suo eorum vim protestatus est, & Arianam hæresim condemnavit, vetuitque à quoquam probari, aut recipi.* Et in Apologia, de qua supra, ait Hosium Ariani consensisse tantummodo *πρὸς ὁρᾶν*, *ad horam*, nempe, dum Sirmienſi Convenculo invitus interfuit. Legen-

dus S. P. Aug. lib. 1. in Epistolam Parmeniani, ubi negat quod Donatistæ vulgaverant, Hosium ab Hispanis damnatum, & à Gallis fuisse absolutum, aut saltem credibilis esse, *Hispanos falsis criminationibus circumventos, contra innocentem protulisse sententiam, & postea pacifice in humilitate Christiana ad sententiam Collegarum accessisse.* Adimus posse quidem justissimum Deum deferere semel peccantem; sed cum superexaltet misericordia iudicium, miserationibus ejus, quarum non est numerus, videtur magis consentaneum, si dicatur homini, qui fuerat Athleta veritatis, neque malicia, sed infirmitate, neque corde, sed ore peccaverat, poenitendi victicem gratiam fuisse largitum. Quamquam hæc inscrutabili Dei beneplacito parata est, & ob præcedentia demerita facti sunt plures vasa in interitum, rerumque humanarum singulare ludibrium.

Oppones: Isidorus de Viris illustr. cap. 14. narrat Hosium digno Apostatæ exitu fuisse elisum, & ore distorto divinitus è sede dejectum, cum vellet deponere Gregorium Illiberitanum, qui noluit cum Hosio, tanquam perditissimo hæretico communicare. Consentiant celebriores rerum Hispanicarum Scriptores, Auctor Anonymus, qui xiv. Vitas Isidori libro præposuit, Joannes Valseus in Chron. ad annum 355. Joan. Mariana lib. iv. cap. 17. alique permulti.

5.
Obiecto.

Resp. Natalis Alexander, librum de Viris illustr. censendum esse suppositum, cum illius non memineret Idelphonsus, qui recenset Opera omnia Isidori. Hæc tamen responsio falsa est, cum liber Isidori de Viris illustribus in aliorum sylabo censeatur à S. Braulione Caſaravgustano Episcopo, hujus Prænatio extat Tom. 2. Hispan. Illustratæ, & hujus libri antiquissimum Ms. servetur cum Isidori nomine Cantabrigiæ in Bibliotheca Benedictina, & Oxonii in Mertonensi. Quare Isidoro jure adscribitur à nostro Philippo Bergomate in Supplemento ad an. 615. à Sigeberto in Catalogo cap. 55. à Vossio lib. 2. de Hist. Lat. cap. 25. ab aliis quamplurimis. Hæc tamen Hosii terribilissimum exitum nequeunt, ut Vulpiani verbo utar, certiorare. Nam, ut recte scribit ipsemet Alexander, Isidorus fabulam hausit è Luciferianorum gurgite deturpato. Luciferiani enim duo, Faustinos & Marcellus, qui noluerunt recipere lapsos in persecutione Constantii, & ab Ecclesia sese nefario schismate alienarunt, in Libello

6.
Solutio.

bello ad Imperatorem Valentinianum adversus Sanctos Episcopos veritatem fabellis tragieis macularunt. Ibi primum Hosii cum Gregorio Boetico dissidium, & illius mors atrocissima confecta sunt, pluraque in Athanasium & Hilarium inverecunde adinventata. Illinc exscriptit Isidorus tragediam deplorabilem, inseruitque Historiæ virorum illustrium: aut certe affuit Theodiscus illius in sede Hispalensi successor. Quamobrem æ-

quum est, ut major fides præstetur Athanasio Scriptori Syncrono, atque integerrimo, quam Isidoro ab Hosii ætate valde remoto, & qui scripsit post corruptam à Luciferianis historiam. Id vero cæteris Hispaniarum Scriptoribus potuit facilius contingere, inter quos multi sunt apud citatum Aguirre in Hosium benigniores. Si quis præclara ipsius merita velit cognoscere, legat Epistolam Athanasii ad solitariam vitam agentes.

C A P U T XIV.

Absolvitur Liber apologeticus nonnullis adnotationibus in Eucharisticum hymnum *Te Deum Laudamus*.

S U M M A R I U M.

1. & 2. Affertur triplex ratio, cur hæc quaestio pertractetur.

3. Propugnatur SS. Ambrosium, & Augustinum fuisse hujus hymni Autores. à num. 4. usque ad 8. Removentur contraria.

1.
Annotatio-
nes super
Hymnum
Te Deum
Laudamus.

PRIUSQUAM de tabula manum tollam, triplex ratio suadet, ut de hymno gratiarum Ambrosio, & Augustino inscripto pertractem; non ita tamen, ut pariam prolixitate fastidium. Ratio prima est, quod Ecclesia perantiquæ traditionis verax & inviolabilis Magistra à pluribus sæculis prædictum hymnum recepit: in quo Deum unum, æternum Patrem, verum & unicum Filium, & Paraclitum Spiritum laudamus, & confitemur. Fidem itaque Catholicam Trinitatis, Scripturis ac Patrum traditione ad nos derivatam Ecclesia Christi frequentissima hujus hymni recitatione confirmat. Illum ergo in dissertatione, qua fidem istam vindicare studui, importunum nequaquam videtur commemorare.

2.
Conjecturæ
super Hy-
mnum.

Deinde movet me, quod eruditi viri quamplurimi prædictum hymnum SS. Ambrosio & Augustino prorsus abjudicant, quorum non leves sunt conjecturæ. Primo enim ignotum esse Auctorem colligunt ex antiquioribus Mss. in quibus neque Ambrosio, neque Augustino tribuitur. In Vaticano Psalterio inscribitur *hymnus S. Sisebuti*. In Breviario Aniciano *Hymnus S. Abundii*: inscribitur in altero Psalterio Gallico Sancto Nicetio, & apud Edmundum Martene Hilario Pictaviensi. Tanta Auctorum diversitas, ait Pagius ad annum 388. satis ostendit latere adhuc hujus Cantici Auctorem. Ad hæc nemo invenitur, ut verbis utar PP. Bened. Tom. 2. Oper. S. Amb. p. 1217. hac nostra ætate tam plane rudis, qui fabulam esse inficietur eundem hymnum

post baptizatum ab Ambrosio magnum Augustinum fuisse ab utroque alternis vicibus decantatum. Præterea invaluit hæc opinio ex Chronico S. Datii Mediolanensis, quod suppositum opus esse arbitrantur Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii, Gavantus in Rubricis, Mabillonius Tom. 1. Analectorum, & qui accurate Ambrosianæ Bibliothecæ Codices lustravit, Ludovicus Muratori. Rursus ab uno Ambrosio fuisse conscriptum nonnulli probare conantur, ex quo in forma Dialogi non sit editus. Demum animadvertit Lorinus in Ps. 27. versiculum Cantici, *Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hereditati tuæ*, aliter legi tam in Psalterio Ambrosiano, quam apud Sanctum Patrem Augustinum: unde oritur suspicio, neque ab uno, neque ab altero fuisse compositum. Ita rationes non videntur deesse, quibus vetus opinio rejiciatur.

Attamen, omni partium studio deposita, arbitror debiliores esse conjecturas istiusmodi, & hymnum revera edidisse Ambrosium, & Augustinum, ut Bartholomæus Urbinas in Præfat. ad Milleloq. Jacobus de Valentia de hoc Cantico, Lancillotus, aliique nostrates, ut ex Congregatione Discalceatorum Eustachius à S. Ubaldo, necnon citato loco Lorinus, Radulphus Tungrensis Prop. 13. de Can. observat. & innumeri cujusque Ordinis Scriptores tradiderunt. Quod hac ratione ductus ostendo. Recedendum non est à vetusta & communi traditione, nisi hanc valida argumenta revincant. At quidquid eruditi viri

3.
Autores
Hymni sunt
Ambrosius &
Augustinus.